



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

De inanis gloriæ vitio superato. Cap. X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

LIBER PRIMVS.

bito somno ciboque fraudari, multis  
eo tempore doctus experimentis, vt  
moderata sobrietate vegetatur anim<sup>9</sup>,  
sic immoderata vigilia vel inedia vires  
adeo frangi ac debilitari, vt mens ea-  
rum ministerio destituta vix munere  
suo fungi, aut ad contemplationem  
rerum diuinarum possit exsurgere.  
Vexatus igitur, vt dicebamus, diutur-  
na & periculosa ægritudine, demum  
ita conualuit, vt ex reliquis morbi  
dolore stomachi molestissimo subin-  
de cruciaretur: quapropter calceos in-  
ducere, & panni crassioris tunica cine-  
rea, & capitis tegumento contra sœui-  
tiam hyemis munire sese piorum ho-  
minum benignitate precibusque coa-  
ctus est.

*De inanis gloriae vizio superato.*

*Cap. X.*

**A**ccepit ad illa corporis ægrotan-  
tis incommoda, grauis etiam a-  
nimi cruciatus, ab importuna quadā  
inanis gloriæ tentatione profectus.  
Dum enim ingrauescente morbo con-  
scientiam suam diligentius excutit,

D 2 seq;

sc̄que ad extremum comparat mortis agonem, subiit illi repente se iustum esse, neque ullo pacto sibi de sempiterna beatitudine dubitandum. Cui sua sioni dū resistere vi summa conatur, intelligens vt quisque sibi maximē placet, ita Deo maximē displicere; diuturnum & anceps intra se certamen tāta tentatione metuq; sustinuit, vt miris modis quotidie torqueretur, maioremque ex offenditionis diuinæ formidinc, quām ex ipsa grassantis morbi vehementia, metum ac solicitudinem caperet. Versabat videlicet in omnes partes hominis animum dæmon callid⁹, Christi permis⁹; & quem desperationis iaculis paulo antē superare nequuerat, eundem rursus nimiæ confidētiaæ ac vanitatis elatione supplantare & euertere nitebatur. Sed contra eiusmodi cogitationes Ignatius & in ipso (vt dixim⁹) morbo, & recuperata postmodum valetudine cum diutius dimicaret; partim agendis identidem Domino gratijs, partim naturæ humanæ fragilitatem apud se reputando; denique diuino præsidio detestabile hoc

in.

ingrati animi vitiū ita debellauit, euul  
fitque radicitus, vt postea quotiescum  
que salus animarū, aut Dei gloria po-  
stularet, sua non minus bona, quā ma-  
la sine vlla prorsus cenodoxiæ titilla-  
tione palam & ingenuè expromeret.

*De profecitione Hierosolymitanæ.*

*Cap. XI.*

INTER hæc anni ferè spatio exacto,  
partim spiritualium rerum scientia  
instructus, partim etiam arte quadam  
& consuetudine regendarum anima-  
rum imbutus, cum nihil vulgare aut  
exiguum agitaret animo, sed egregia  
quædā & ardua in Dei gloriam ab ipso  
conuersionis initio concepisset; Hiero-  
solymam, quod iamdudum habebat  
in votis, petere omnino constituit, nō  
tam ut Christi Domini sacratissima in  
cunabula cerneret ( tametsi id ipsum  
vehementer optabat) quam ut in con-  
uertendis ad Euangelij lucem infideli-  
bus, qui ea tenent loca; vel operæ pre-  
mium faceret, vel certè martyrij palmā,  
cuius audissimus erat, acquireret. Sed  
hoc suum de prædicando Euangelio

D 3 con-